



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXXX. Continuatio eiusdem Argumenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

rectionis Fraternalis neglexeris, vel iniquè ab alijs tibi præstitum tuleris. An etiam præscriptum ordinem servaveris tunc, quando ille erat adhibendus; quando nimirum spes erat, eum ad emendationem profuturum: nam sæpe hic ordo locum non habet, & magis expedit immediatè Superiori delictum Subditi manifestare; quod præsertim in Religiosis Familijs locum habet, ubi Subditi à Superioribus modo paterno reguntur, eorùmque directioni se penitus commiserunt, & ab illis magis, quàm ab æqualibus corrigi malunt.

MEDITATIO CCCXXX.

Continuatio eiusdem Argumenti.

PUNCTUM I. *Si autem Ecclesiam non audièrit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Matth. 18. v. 17. Ecce quam graviter Christus aversetur, & veluti noxios, vitandos denunciaret eos, qui Superioribus non obediunt, atque eorum Correctionem ac Disciplinam recusant, & proinde periculo se exponunt, ut veluti membrum noxium ac incurabile separentur, abscindantur, & ab Ecclesia, sive Communitate aliqua Religiosa eijciantur. Tu itaque audi Disciplinam Patris tui; illos verò, qui eidem aures suas occludunt, velut noxios evita, & ab eorum imitatione, velut à superstitione ac errore Gentilium, & velut à Publicanorum rapinis ac fraudibus abhorresce.

PUNCT. II. *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in Cælis est.* v. 19. Tanta vis est

R

consen-

258 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum*
consensionis ac disensionis; quia enim, quicquid Pro-
ximo à nobis fit, id Christo fit; & quicquid Christo
fit, id Patri Cælesti fit, ideo consensio vel disensio
cum Proximo, est consensio vel disensio cum Patre
qui proinde consentit, vel dissentit petitioni nostræ
prout nos cum ipso consenserimus, vel disenserimus
ab illo.

PUNCT. III. *Ubi enim sunt duo vel tres congregati*
Nomine meo, ibi sum in medio eorum. v. 20. Tam libera-
lis & certæ promissionis factæ illis, qui in Nomine
Christi, id est, propter Christum, & Amore Christi
congregati, & animis conjuncti sunt, fidelissimè im-
plendæ, ratio est Assistentia, Conjunctio, & Coopera-
tio ipsius Christi; ille enim orantibus se jungit, & cum
ipsis, ac pro ipsis orat Patrem suum, qui in Cælis est.
Pater autem nihil potest negare Filio. Nunquam er-
go ulla disensione, vel aversione à Fratrem Conjun-
ctionem hanc dissolvas. Perpende etiam felicitatem
eorum, qui propter Christum Mundum deseruerunt
& sub ejus Vexillo in eandem Vitæ Societatem con-
gregati sunt; qui simul Orationi, Meditationi, Con-
scientiæ discussioni vacant, Merita & Orationes com-
municant; inter quos proinde semper medius versa-
tur Christus, & corda illorum ardentia reddit, hanc
aliter, quàm duorum Discipulorum in Emmaus eun-
tium, qui eum ardorem experti, Luc. 24. v. 31. te-
stantur his verbis: *Nonne Cor nostrum ardens erat*

*in nobis, dum loqueretur
in via?*



MED